



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

8. Qvi Parcere Victis Malvit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

figendi consuetudine, tum aliunde, tum ex Plutarchi Pelopida, & Cornelij Nepotis Datame liquet. Quinam autem primi inter Romanos tropæa posuerint, tradit Florus. lib. 3. cap. 2. *Domitius, inquit, Ahenobarbus, & Fabius Maximus, ipsis quibus dimicaverant locis, saxæas erexere turres, & desuper exornata armis hostilibus tropæa fixere, cum hic mos inusitatus fuerit nostris. Nunquam enim populus Romanus hostibus domitis suam victoriam exprobravit. Quod sanè Germanicus Cæsar Germanis, Arminij militibus, in campo Idistaviso, superatis haud observavit: Ita enim hac de re scribit Tacit. lib. 2. Annal. Miles in loco prælij Tiberium Imperatorem salutavit. struxitque aggerem, & in modum tropæorum arma, subscriptis victarum gentium nominibus, imposuit. Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia, quàm ea species dolore & ira adfecit.*

8. QVI PARCERE VICTIS MALVIT. Sic Carolus tertio quoque Saxonum, quos in *Sintsele* subegerat, ut supra meminimus, in alias oras traducto, reliquis supplicibus, more suo ignovit, *præclaram victoriam ratus, in qua plus esset clementia, quàm crudelitas.* Cornelius Nepos in Timoleonte. Probè etiam gnarus, *novum imperium inchoanti utilem esse clementie famam.* Tacit. hist. lib. 4. cap. 63. *& si egregium est hostem deicere, non minus esse laudabile infelicis scire misereri.* Valerius Max. lib. v. Cæterùm de Saxonibus utriusque Albis ripæ accolis aliò deportatis, ita Eginhardus in vita Caroli M. *Decem, inquit, hominum millia ex ijs qui utrasque ripas Albis fluminis incolebant, cum uxoribus & liberis sublatos transtulit, & huc atque illuc per Galliam & Germaniam multimoda divisione distribuit.* Bonfinius etiam in remotiores provincias trajectos memorat. *Decad. 1. lib. 9.*

*Non solum, inquit, è Saxonibus abducti obsides principum filij, sed ut eorum vires honestius extenuarentur, multa quoque ex his in Daciam, Pannoniam, diversâsque regiones deducta colonia, quarum adhuc innumera Sarmatiam, ulterioremque Daciam incolunt. Secutus nimirum hac in re Carolus exemplum veterum Romanorum: Tiberius namque ex his ipsis locis, ubi Drusus adversus Sicambros castellum Alisonem posuerat, Sicambros traduxit in Galliam, atque in proximis Rheeno agris collocavit. Sueton. in Aug. cap. 23. Quantus autem eorum, quos in Gallias Tiberius trajecit, numerus fuerit; memoriæ prodidit Eutropius lib. 7. Tiberius CCCC. M. captivorum ex Germania transtulit, & supra ripam Rheni in Gallia collocavit.*

## HERISTALLVM SAXONICVM in ripa Visurgis.

**I.** PLACIDO VEKIT AMNE VISVRGIS. Qui Werrha & Fulda, infra Mundam, confluentibus, hoc nomen nactus, usque retinet, dum in Oceanum effunditur, mutua Romanorum Germanorumque clade nobilis amnis, Paterculo, Melæ, Plinio, Dioni, Straboni, Ptolemæo, & Tacito memoratus, cui præcipuè famam suam debet, ut Tacitus Visurgi vitam: *Nam quinque ejus primores Annalium libri inventi Corbejæ, quod Monasterium ad Visurgim est, atque illinc depromptum verè hunc thesaurum Questor quidam Pontificius ad Leonem X. Pontif. A. detulit, donatus ab eo aureis quingentis*